

PANTAGAT(H)O Flavio
(Giovan Battista Capranica)

EPIGRAMMATA (96 vers)

PANTAGATUS IN XYSTUM

E_1 v.1 Omnibus in triviis atque omni in fornice Xystus
2 auratis muros quercubus implicuit
3 silvestrique cibo saturnia numina Romae
4 reddidit, exclusis frugibus et Cerere.

EPITHAPHIUM XYSTI A PANTAGATHO EDITUM

E_2 v.1 Stulte, quid infamem Xysti praestringere vitam
2 conaris ? Satiram postulat et vomitam.
3 Vis titulum ? "Fellat, cevet, mentitur, ineptit".
4 Vis summam ? Jacet hic et scelus et vitium.

E_3 v.1 Scurra, vorax, paticus, meretrix, delator, adulter,
2 cedite : nulla datur sportula. Xystus obiit.

PANTAGATHI IN XYSTUM

E_4 v.1 Non potuit saevum vis ulla extinguere Xystum :
2 audito tantum nomine pacis obiit.

IN CARDINALES

1 IN VICECANCELLARIUM

E_5 v.1 Barbarus hunc sequitur Rodoricus Borgia, cujus
2 cum domino tota est pernicioosa domus.

2 IN NEAPOLITANUM CARDINALEM

v.1 Parthenopaeus adest Carrapha Oliverius. Heus tu !
2 nil refero : patriam sit didicisse satis.

3 IN CARDINALEM SANCTI MARCI

v.1 Mercator venetus Barborum gente vetusta
2 decoxit Marcus. Caetera nosse potes.

4 IN CARDINALEM SANCTI PETRI AD VINCULA

v.1 Pontificis, memini, cepit dum stegmata Xysti,
2 et cerdo et nauta dom Julianus erat.

5 IN CARDINALEM MEDIOLANENSEM

v.1 Carminibus non est Nardini aptanda duobus
2 fallax vita : capit codicis omne latus.

6 IN CARDINALEM MONTIS REALIS

v.1 Barbarus Ausias simplex, bonus et sua virtus...
2 sordet, avaritiam dum superare nequit !

7 IN CARDINALEM MATISCONENSEM

v.1 Sordet adhuc variis Philiberti dextra culinis,
2 hinc tegit uncosam coccina lana cutem.

8 IN CARDINALEM MALFITTENSEM

v.1 Omnia cum Phineus lippis miretur ocellis,
2 in pueros tantum Lynceus esse solet.

9 IN CARDINALEM AGRIENSEM

v.1 Deposuit pulices, cimices, calopodia, saccum,
2 haud animi posuit munera prava sui.

10 IN CARDINALEM SANCTI VITALIS

v.1 Hic, quia pontifici stravit bene lintea Xysto
2 et pueros saepe supposuit, bonus est.

11 IN CARDINALEM MANTUANUM

v.1 Hic, quem lenonum puerorum turba frequentat,
2 dedecus est gentis atque ruina suae.

12 IN CARDINALEM FOSCARUM

v.1 Euganeae si non produxit terra malignum,
2 de te quid dicam, Foscare, non habeo.

13 IN ROTHOMAGENSEM CARDINALEM

v.1 Aurea cui magnis fulgebant tecta rapinis,
 2 nunc jacet in nudo corpus inane solo ;
 3 cui non una satis meretrix, crapulator, avarus,
 4 vermibus esca rapax Rotomagensis erit.
 5 Munera pro meritis caeli haec Moderator iniquis
 6 tradidit : infernis volvitur umbra focus.

14 IN CARDINALEM SANCTI GEORGII

v.1 Accepit Sancti patricissimus arma Georgii,
 2 cum Jove qui noctes dormit agitque dies.

IN PONTIFICEM XYSTUM

E_6 v.1 Quicquid erat Pauli gemmarum vestis et auri
 2 mense uno Petrus subtulit et futuit.
 3 Quae superant urbes, agros atque oppida vendit,
 4 in Tuscos Xystus dum fera bella parat.
 5 Haec pro Salviato, pro Raphaele geruntur.
 6 O, utinam fato concidat ille pari.

E_7 v.1 Thrax saevit, Xystus cevet connubia curans,
 2 Ecclesiae lacerat dom Julianus opes.

PANTAGATHUS IN PATRIARCHAM

E_8 v.1 Tempore si nostro debetur gloria furtis,
 2 si sceleri dantur praemia et insidiis,
 3 jure sibi poscit noster Patriarcha galerum :
 4 reddenda est capiti purpura tam merito.
 5 Quid juvat imperium Romam mutasse feroque
 6 pro Mavorte pium nunc coluisse Petrum ?
 7 Serviat an turpi Veneto, quem turbida semper
 8 consilia exagitat Eumenidesque trahunt ?
 9 Saevisti in populos decimum jam, dire, per annum.
 10 Umbria quas clades sentit, et Aemilia !
 11 Immerita, heu, quotiens foedasti caede secures,
 12 qualem jam passa est, te duce, Roma, Nero !
 13 Sed mala praeteriti superant praesentia facta.
 14 Quo ruis et jactas, sanguinolente, faces ?
 15 Fulmina quid faciunt ? Senuisti, Juppiter ? Et tu
 16 ultrices cessas, Xyste, movere manus ?
 17 Lusisti nummos, famam patriamque, pudorem ;
 18 crede mihi : ludes jam, Patriarcha, caput.
 19 Lusisti numos, famam patriamque, pudorem ;
 20 crede mihi : ludes jam, Patriarcha, caput.

EPITAPHIUM PETRI CARDINALIS SANCTI SIXTI A PANTAGATHO EPISCOPO FIRMANO

E_9 v.1 Hic tegitur nostri scelus atque infamia saeculi
 2 Petrus, cardinei pestis amara chori.
 3 Sume animum et vires, Virtus depressa Pudorque :
 4 occidit is tandem qui tuus hostis erat.

E_10 v.1 Pusio, fur, leno, meretrix, athleta, lanista
 2 tecum, Petre, una disperiere die.

E_11 v.1 Plorat Salviatus Petrum Tirexis et Agnus :
 2 hic leno, haec meretrix, ille cinaedus erat.

E_12 v.1 Obruite, o cives, Tiberique immergite Petrum,
 2 corpus adhuc homines inficit atque deos.

PANTAGATHI IN ALEMAM

E_13 v.1 Alema quem genuit, praedo Megalesius hic est.
 2 Vis dicam melius ? Hic tegitur vitium.

E_14 v.1 Pondus ut acquirat Colella cupidus auri
 2 pondus et argenti, negligit esse deos.

E_15 v.1 Ne Romana foret valido sine remige Puppis,
 2 mille toros remex don Julianus habet.

E_16 v.1 Amisit Celtas rex Lusitanus Hiberos.
 2 Nunc bello amissos jure reposcit agros.
 3 O regem invictum ! Si quae jam perdidit armis
 4 haec sibi per leges restituenda putat.

PANTAGATHI IN EUNDEM GALEACIUM

E_17 v.1 Occubuit sacra mactatus in aede tyrannus.
 2 Hostia non potuit gratior esse Deo.

E_18 v.1 Laetitiam celebrate, viri, non morte tyranni,
 2 sed quod bella tenent sanguinolenta Ducem.